







1735.

1. Lengnich, Gottfried: De Palauorum confederatis oribus.  
2. Wittenberg, Samuel Fredericus: Investigatione ad Iurias electio-  
narynas.

1737.

1. et 2. Wittenberg, Samuel Fredericus: De excessibus et paucis  
deservientibus. 2 Sampl 1737 et 1740

1740

1. Kalmus, Th. Adams: De religione medicorum

1752.

1. Krausius, Georgius Fredericus: De extenua pneumonia inter-  
prolatione  
2. Krausius, Georgius Fredericus: In officio iudicis, n' obligo-  
menta legis videlicet.

1757.

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De medicis erudienda verita-  
tis in processu.

1758

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De legitimatione per rescripta principis

1759.

1. Pauli, Martini Galliib: Utrum iis, quae sunt tabulae visiones,  
hodie satis sint ex aliis iuris horum?

1758.

1. Pauli, Martini Galliib: De incongrua praeceps doctrinae  
iuris Romani de restituzione integrorum ex capite metus  
et dolis. 2 fasci.

1761.

1. Pauli, Martini Galliib: De jure representationis ejusque  
in Germania origine et progressu.

1762.

1. Pauli, Martini Galliib: De executoribus a litigio solvi  
latim.

1763.

1. Pauli, Martini Galliib: De lege commissoria

1765

1. Gralath, Daniel: De jure calmcarii in doctrina de contractu.  
bus ex legibus Romanis clementato

1768

1. Gralath, Daniel : De officiis laeti circa injuries observan.  
dis

1771.

1. Gralath, Daniel : De causis post mortem mortuum  
[Von Soden nach Todes Hand].

1772.

1. Gralath, Daniel : De solemnis labibus testemontorium sacer-  
nis

1780.

1. Gralath, Daniel : De privilegiis peregrinorum foreni, quod  
Gremium des Gartrechts vocatur.

1787.

1. Gralath, Daniel : De commodis et iuriis, quae estis  
et conditio civitatum maritimorum naturalis, et  
commercia in iisda exercenda iustagent.

2. Staunius, Carolus Gottlieb : De jure iusando.

1851  
and a new species had appeared which  
was quite a bit larger than the old one.

1851  
Another migration took place in April.  
The birds were to be seen in the fields and at  
the edges of the woods.

1851  
This was a small and slender bird  
with short tail, long wings and long legs.  
It was seen in the fields and at  
the edges of the woods.

1851  
This was a small and slender bird  
with short tail, long wings and long legs.  
It was seen in the fields and at  
the edges of the woods.

1851  
This was a small and slender bird  
with short tail, long wings and long legs.  
It was seen in the fields and at  
the edges of the woods.





Gustav Rauter,

[Schluss fehlt!]

2. 11. 1890.

Q. D. B. V.

DE

# RELIGIONE MEDICI

1740, 1.

27.

5

PRAESIDE

## JO. ADAMO KVLMO

MEDICINÆ D. PHYSICO ORD. MEDIC. ET PHIL.

NAT. IN ILLVSTRI GYMN. GEDAN. ACADEM.

PROFESSORE PVBL. ACADEM. IMP. NATVR.

CVRIOS. ET SOCIET. REG. SCIENTIAR.

BEROLINENS. SODALE

## IN AVDITORIO MAXIMO

ANNO MDCXL. IPSIS CAL. SEPTEMBR.

HORIS CONSVENTIS

DISPVTABIT

AVTOR ET RESPONDENS

## CHRISTIANVS SENDEL, ELBING.

ALVMN. VOEGEDING.

---

GEDANI,

TYPIS THOMÆ JOHANNIS SCHREIBERI, SENATVS

ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.



1600  
BIBLIOTHECA  
LITERARIA

CHIUSIONALIS  
LIBRARY OF THE  
BIBLIOTHECA LITERARIA

1600

INCLVTAE  
REIPVBЛИCAE ELBINGENSIS  
**SENATVI,**  
ILLVSTRI  
**BVRGGRAVIOREGIO,**  
PER-MAGNIFICIS, GENEROSIS,  
MAXIME STRENVIS  
**PRAESIDI,**  
**PRAECONSVLIBVS,**  
MAGNIFICIS, GENEROSIS, AM-  
PLISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
**CONSVLIBVS,**  
PATRIAЕ PATRIBVS,  
MAECENATIBVS SVIS  
MAXIMOPERE COLENDIS, SVSPICIENDIS

HOCCE,  
QVICQVID EST SPECIMINIS PUBLICI,  
RELIGIONEM MEDICI DEFENDENTIS,  
RELIGIONIS SVAE PIETATISQUE  
IN  
EOS  
MONVMENTVM  
PONIT, CONSECRAT, DICAT

# TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS  
CHRISTIANVS SENDEL.



DE  
**RELIGIONE MEDICI**  
**DISSERTATIO.**

§. I.



eligionem Medici nullam esse qui asseruerunt, aut, quod eodem reddit, pessimam insinuarunt, Atheorum quorundam, aliquando & mere practicorum, plerumque falso Atheismi accusatorum aut tantum mechanicorum Medicorum exemplis inducti illud egerunt. Degenerum vero Medicinæ cultorum DEum & doctrina & vita negantium malitia nihil ipsi scientiæ adsparget maculæ; & argumentum à falso suspectis desumptum, ne ipsis quidem, multo minus arti quam obtruderet ignominia. Mechanismum autem potius ad DEum adducere, quam ab eodem abducere, extra dubium jam est positum.

Confer, Celeb. Eliæ Frider. Heisteri Apologia pro Medicis,

A

§. II.

## DE RELIGIONE

## §. II.

Cui religionem Medici in dubium vocare mens est, ex essentia medicarum scientiarum dubitationes suas deducere debet. Hujus vero deductionis impossibilitas manifesta erit, vbi ex eadem Medicinæ essentia euicerimus, religionem Medici non tantum non posse vocari nullam, vel pessimam, sed in se fatis bonam, immo rationi sibi relista convenientissimam. Id quod hac in dissertatione nostrum est institutum.

## §. III.

Genuina autem hic religionis notio præmittenda est. Eum *religiosum* profitemur, qui DEum perfectionibus gaudere maximis cognoscit, atque hac cognitione allicitus pie vitam suam instituit. *Religio* itaque est pietas erga DEum agnatum observata.

## §. IV.

Atque exinde quid sibi velit *Medici religio* colligitur. Est scilicet hæc pietas à Medico erga DEum ab ipso agnatum observanda.

## §. V.

Vt autem omnis religio duabus nititur partibus: cognitione DEI diuinarumque perfectionum præmittenda; atque pietatis exercitio ex hac fluente (§. III): ita & religionem medici conscient cognitio perfectionum diuinarum à medico acquirenda, & pietas ab eodem excolenda (§. IV).

## §. VI.

Pro parte prima religionis medicæ stabienda, quid sit Medicus, quidue scientiæ medicæ ambitu suo complectantur, nobis erit euoluendum.

## §. VII.

*Medicus* definitur nobis cum Schreibero in elementis Medicinae Physico-Mathematicis, quod sit is, qui gaudet scientia dirigendi vires corporis humani ad sanitatem.

## §. VIII.

## MEDICI.

3

### §. VIII.

Corpus humanum vel sanum est, vel ægrum: adeoque directio virium corporis humani vel versabitur circa corpus sanum vel ægrum, huic sanitatem restituendi ergo, illi servandi causa.

### §. IX.

Medicinam itaque in duas distribuunt partes, alteram *Hygienen*, quæ docet corporis humani sani vires ad præsentem sanitatem seruandam dirigere; alteram *Therapeuticam*, quæ vires corporis humani ægri ad sanitatem amissam recipiundam dirigendi præcepta dat.

### §. X.

Hygiene *Physiologiam* requirit cognitam, vt pote scientiam eorum omnium, quæ per corpus humanum sanum, adsumpta & applicata possibilia sunt.

### §. XI.

Physiologia pro enarrandis per corpus humanum possibilibus *Anatomiam*, scientiam strucluræ, fitus, figuræ, operacionum atque usus partium corporis humani; pro euoluendis per adsumpta & applicata possibilibus *Diæticam*, scientiam facultatum esculentorum potulentorumque, & *Physicæ* partes, quæ præbent eorum scientiam, quæ per corpora sanitati proficia possibilia sunt, supponit, vt pote *Cosmologiam specialem* quadrantibus, quæ de corporibus mundi totalibus agit; *Meteorologiam*, quæ atmosphæræ, eorumque, quæ in atmosphæra generantur, scientiam præstat; *Hydrologiam*, quæ aquarum proprietates explicat, & *Physiologiam generalem*, quæ corporis animati cuiuscunq[ue] attributa docet.

### §. XII.

Hygienes officium est conferuare sanitatem (§. IX.): quod cum fieri nequeat sine esculentis potulentisque adsumptis, & absque aëris, cœli, ventorumque &c. rite temperatorum usu: altera palam est ratio supponendarum in Hygiene Diæticæ & *Physicæ* partium nominatarum (§. XI).

### §. XIII.

## DE RELIGIONE

4

### §. XIII.

Quia corporis in sanitate conseruandi interiora perspicere non datur, per exteriora saltem signa ea eruere nobis licet. Requiritur itaque in Hygiene signorum sanitatis conservanda scientia, quæ *Semeiotices Hygienes* nomine venit.

### §. XIV.

Therapeutica, altera Medicinæ pars (§.IX.), principia postulat à *Pathologia* modum docente, quo determinatus gradus virium corporis humani consentientium per corpus humanum, siue sanum siue agrum, adsumta quæcunque atque applicata tolli queat & sic potius quam aliter.

### §. XV.

Ex *Pathologjæ* definitione (§. XIV.) patet, illam & *Physiologiam* (§. X), & quas *Physiologia* postulat scientias (§. XI.) requirere perspectas.

### §. XVI.

Therapeutica sub se complectitur *Methodum medendi*, seu doctrinam ex morbo praesente indicantium.

*Indicans* est, quod rationem sufficientem indicati in se continet; *indicatum* autem dicitur id, quod in ægro corpore mutari debet, ut rebeat sanitas. E. g. Ventriculi cruditus acida est indicans, hujus remoto indicatum.

### §. XVII.

Indicati non datur locus, nisi mutatione in ægro corpore producta (§. XVI. Schol.) Quæ, cum arte fieri debet, ad eam absoluendam requiruntur instrumenta; & hæc, si ingesta corpori ad agendum ipsa corporis afflicti vi opus habent, *medicamenta*; & autem externe applicata ad agendum vi à vi corporis ægri diversa agent, *auxilia manualia* siue *chirurgica* audiunt.

### §. XVIII.

Atque ita *Methodus medendi* postulabit scientiam facultatum

tatum medicamentorum, *Materiem medicam*. Materie vero medica rite instructus non est, nisi qui *Zoologia*, scientia animalium, *Oryetologia*, scientia fossilium, & hic in primis *Mineralogia*, quæ salium, sulphurum metallorumque euolut natu ram, porro *Phytologia*, vegetabilium scientia, ejusque partibus primariis *Boranologia*, herbarum, & *Dendrologia*, arborum & fruticum scientia imbutus est.

## §. XIX.

Scientia mutationem producendi in corpore ægro medicamentis, dici posset *Praxis Medica*; illa vero scientia, quæ auxiliis manualibus externis ægrum corpus mutare docet, *Chirurgia* appellatur.

## §. XX.

Quoniam materies medica est scientia facultatum medicamentorum (§. XVIII.); simplicium autem medicamentorum præparationis, præparatorumque ad effectum quendam producendum necessariæ combinationis scientia dicitur *Pharmaceutica*: patet, Pharmaceuticæ cognitionem in materiem medicam influere.

## §. XXI.

Medicamentis pro gradu vis corporis afflicti agentibus (§. XVII.), in Therapeutica scientia signorum gradus vis corporis ægroti, sive *Semeiotica Therapeutica*, locum nanciscetur.

## §. XXII.

Esculenta & potulenta, itemque reliqua corpori applicata, sæpius loco medicamentorum esse possunt; Medicamentorum vero rationem habere debet Therapeutica (§. XVII.): manifestum ergo iterum euadit, Diæteticæ (§. XI.) & Physicæ partium §. cit. nominarum notitiam in Therapeutica postulari.

## §. XXIII.

Ita euolutis Medicinæ scientiis novimus, quæ perscruta-

## DE RELIGIONE

tanda incumbant Medico. Atque hæc quidem omnia nobis  
in posterum serierum medicarum nomine venient.

*Series* enim dicitur plurium quomodounque connexorum complexus.

Plura vero connexa in scientiis medicis utique dari, qui præcedentia  
perspexit, lubentissime largietur.

## §. XXIV.

In has series medicas qui rite inquirit Medicus, de DEO  
sentire perfectiones maximas bene poterit. Id quod jam de-  
monstratum dabimus.

## §. XXV.

De existentia DEI ante omnia euincenda solliciti, philo-  
sophicum principium: Nihil est sine ratione sufficiens, ut eu-  
identissimum, supponimus.

Omnis enim Medicus debet esse philosophus & gaudere scientia, adeo-  
que habitu demonstrandi. Qui vero demonstrat veritates, dicitur  
philosophus. Hinc circa existentiam rerum euincendam principio  
actualitatis philosophico, tanquam lemmate quodam, jure vtitur.

## XXVI.

*Ratio* dicitur id, vnde potest cognosci, cur sit alterum.  
*Sufficiens* illa vocatur, quando quicquid per eam in re præsenti  
deducendum est inde cognosci potest.

Ex conditione quæsiti sufficientia rationis aestimatur. Si subsistere in eo velim,  
quod a nemine in dubium vocatur, etiamsi ejus ratio aliunde adhuc  
peti possit: sufficiet ratio in causa immediate, aut mediate præceden-  
ti reperta. Si vero illa ratio a quoipiam in dubium vocetur, aut id  
quæratur, quod nullam prater se sui rationem agnoscit: tunc prior  
illa nondum sufficit; sed, ut quæsito satisfiat, id est euoluendum, in  
quo tandem, acquiescendum est.

## §. XXVII.

*Existere* dicitur id, quod aptum est vel ad agendum vel  
ad

ad patiendum (per def.). Jam vero in medicina vires corporis humani ad sanitatem dirigenda directionem patiuntur, & instrumenta, quibus ea directio perficitur agunt, teste experientia. Vires autem dirigenda & instrumenta directoria ipsas series medicas faciunt (§. XXIII.). Largitur itaque Medicus seriebus suis existentiam.

Quia omnis demonstratio existentiae DEI diuinarumque perfectionum a Medico absoluenda praecepit ipsi superstruit corporum existentiae, iubuit hic admonuisse, Medicum non esse idealistam.

#### §. XXVIII.

Cum nihil sit sine ratione sufficiente (§. XXV.): serierum suarum existentiae rationem sufficientem dari debere, affirmat Medicus.

#### §. XXIX.

Hanc serierum suarum existentiae rationem querit Medicus vel in ipsis suis seriebus, vel in seriebus mundi aliis, vel & in ente quodam alio ab omnibus his diuerso.

#### §. XXX.

Rationem existentiae sue in se habere est per possibilitem ad actualitatem determinari; rationem existentiae alius in se habere est determinare actualitatem alius, & rationem existentiae sue habere in alio est ab alio actualitatem suam determinatam.

#### §. XXXI.

Cujus existentia infert impossibilitatem non-existentiae, illud *necessario existere* dicitur. E contrario illud *contingenter existit*, cuius existentia non-existentiae aut alius existendi modi possibilitem admittit.

#### §. XXXII.

Quoniam quicquid existentia sua impossibilitatem non-existentiae inuoluit, necessario existit (§. XXXI.); & illud, quod per possibilitem suam ad actualitatem determinatur, rationem

sui

## DE RELIGIONE

sui in se habet (§. XXX.): existentia autem sua impossibilitatem non-existentiaz inferre, & per possibilitem ad actualitatem determinari, quod quiuis videt, æquipollentia sunt: patet, quicquid rationem sui in se habet, id necessario existere debere.

Quod vero contingenter existit, possibilitem non-existentiaz admittit (§. XXXI.), aut, quod eodem reddit, non à se, sed ab alio existentiam habet determinatam, adeoque rationem existentiæ suæ in alio habet positam (§. XXX.).

## §. XXXIII.

In seriebus medicis nullum est indiuiduum, quod non-existentiaz impossibilitatem arguat, imo quod non aperte ejus possibilitem commonstret. Corpus humanum, circa quod versatur directio medica, aliquod ante tempus non fuit, post aliquod non erit. Actio medicamenti in corpore, vti ipsium medicamentum, oritur & desinat, & sic in ceteris (per exp.). Nec determinatus indiuiduorum medicorum existendi modus aliis existendi modi possibilitem respuit. Corporis humani vivi status quot modis & quam sàpe non variatur? Singulis momentis aliud quoddam corpus, alio scilicet modo determinatum, observamus. Idem de medicamento, quod aliam ante ingestionem in corpus partium dispositionem, aliam in ipso corpore ægrotō obtinet, afferi potest; Idem & de reliquis corporibus, sive objectis medicis, valet (per exp.).

## §. XXXIV.

Quoniam in seriebus medicis nullum est indiuiduum, quod non-existentiaz, & aliis existendi modi possibilitem neget (§. XXXIII.): exdēm non necessario sed contingenter tantum existunt (§. XXXI.).

## §. XXXV.

Ens, quod non necessario sed contingenter tantum existit, rationem sui non habet in se, sed in alio (§. XXXII.): series itaque

itaque medicæ rationem sui non habent in se, sed in alio  
(§. XXXIV.).

## §. XXXVI.

Serierum medicarum utique ratio quadam quærenda est in reliquis mundi seriebus: & vice versa, serierum mundi reliquarum ratio quadam etiam inuenitur in seriebus medicis. Et in hoc consistit *nexus*, qui uti ubique, ita & inter medicas & ceteras mundi series suffragio experientia suum tuetur locum.

Victus & amictus sunt objecta medica. Faciunt enim ad conseruandam sanitatem. Existentes vero victus & amictus nostræ ratio est quadam, uti in rebus ex quibus præparatur & conficitur, ita in illis, qui eundem præparant & conficiunt. In agricultura igitur, & opificiis, iisque, qui his operam nauant suam, ratio quadam sanitatis conseruandæ inuenitur. Quod & de aliis mundi seriebus facile est perspectu. E contrario & series medicæ rationem quandam existentiae serierum mundi reliquarum in se positan habent. Victus quippe & amictus agricolis, opificibus, sanitatem dum conseruant, utique & agriculturæ & opificiorum, statosiem quandam in se habent.

## §. XXXVII.

Attamen hæc ratio nobis in præsentia non sufficit, qui quærimus rationem inueniendam in ente, quod aliunde præter se sui rationem non repetit. Videamus, vtrum hæc reperiiri possit in seriebus reliquis mundi, à medicis seriebus diuersis.

## §. XXXVIII.

Ob paritatem rationis corporum, easdem, quas Medicus suis tribuit corporibus affectiones, etiam reliquis, quæ series suas non ingrediuntur, adscriber. Jam vero determinatus horum existendi modus continuo variatur, imo & incipiunt & desinunt (§. XXXIII): corporum itaque reliquorum modus determinatus existendi etiam variabitur, imo orientur hæc & interibunt judice Medico.

B

## §. XXXIX.

## DE RELIGIONE

## §. XXXIX.

Animam Medicus in corpore morbis affecto, & sux cura submisso, pro conditione morbi, vel orientis, vel crescentis, vel decrescentis, varias subinde mutationes pati, & modo tristem dolori succumbere, modo latam spe lactari, experientia doceatur. Et quoniam singulas animas, quarum corporum saluti praeficitur, dictis in circumstantiis, eodem modo comparatas animadvertis: animas omnes per naturam suam mutationibus subesse, adeoque determinato suo existendi modo alium quendam minime excludere, colligit Medicus.

## §. XL.

Et animas brutorum continuo mutationibus sensitiis obnoxias esse, per signa, quaedant, infert. Itaque illarum determinatus existendi modus alium quandam haud respuit.

## §. XLI.

Cum ergo nec corporum, quæ series a medicis seriebus diuersas componunt, nec animarum quarumcunque existentia, & determinatus existendi modus, impossibilitatem non existentia, vel alias existendi modi arguant (§. XXXVIII. XXXIX. & XL.): corpora &que, ac animas non necessario, sed contingenter existere, sibi persuadet Medicus (§. XXXI.).

## §. XLII.

Quoniam vero contingenter, non necessario, existunt corpora & animæ serierum mundi reliquarum (§. XLI.): rationem sui non in se, sed in alio inuenient (§. XXXII.).

## §. XLIII.

Præter corpora & animas nihil est, quod faciat series mundi reliquas a medicis seriebus diuersas; & hac quidem, corpora & animæ, non habent rationem sui in se (§. XLII.): licet itaque haec series mundi reliqua quandam serierum medicarum rationem in se habeant (§. XXXVI.): illa tamen nobis non est sufficiens (§. XXXVII. Schol.)

## §. XLIV.

## §. XLIV.

Cum itaque series medicæ sui rationem in se non habeant (§. XXXV.), nec in mundo reliquo inueniant sufficientem (§. XLIII.); attamen ratio ipsarum existentia dari debeat (§. XXVIII.): à seriebus medicis, immo a toto mundo diuersum ens habeatur, necesse est, quod & sui & earum in se rationem contineat (§. XXIX. XXXVII.).

## §. XLV.

Quia autem & reliqua mundi series rationem sui in se non habent (§. XLII. & XLIII.); nec in seriebus medicis, aliunde rationem sui poteribus, (§. XXXVII.): illæ ipsis series mundi reliqui in codem ente, a seriebus medicis & se ipsis diuerso, rationem sui habebunt sufficientem (§. XXV.).

## §. XLVI.

Ens a mundo diuersum, quod & sui & ceterorum rationem sufficientem in se continet, appellatur *DEVS*.

## §. XLVII.

Cognoscit Medicus dari debere ens, a seriebus medicis, immo a toto mundo diuersum, quod & sui & serierum medicarum, immo totius mundi in se contineat rationem (§. XLIV. XLV.). Ens vero à mundo diuersum, quod & sui & ceterorum rationem sufficientem in se continet, vocatur *DEVS* (§. XLVI.). Medicus itaque DEI existentiam potest demonstrare.

## §. XLVIII.

In DEO datur ratio sufficiens existentia serierum Medicorum constituentium (§. XLVI. XLIV.). Inclinauit itaque DEus ad hasce series existentia donandas. Nulla vero inclinatio sine motiuo (per exp.). Ergo & in DEO adfuerit motiuum dictæ inclinationis, manifestum est.

## §. XLIX.

Cum inclinationis cuiuscunq; motuum bonum sit repræsentatum (per exp.), & in DEO adfuerit motuum inclinatio-  
nis in series medicas producendas (§. XLVIII.); ha vero series  
medicæ in complexu suo totum quoddam fstant; inclinatio  
autem in totum aliquod, ex nihilo producendum, non excitari  
possit, nisi sigillatim repræsentata partium quarumcunque, ea-  
rumque minimarum bonitate; partium vero singularium & mi-  
nimarum in toto repræsentatio, cognitio apelletur distincta, &  
distinctissima; euidens est, DEum non produxisse series medi-  
cas, nisi ob distincte, immo distinctissime repræsentatam earum  
bonitatem.

## §. L.

*Intellectus* est facultas distincte perspiciendi possibilia.

## §. LI.

Necessum arbitratur Medicus, distincte, immo distinctissime  
perspexisse DEum bonitatem serierum medicarum (§. XLIX.).  
Facultatem distincte perspiciendi possibilia vocant intellectum  
(§. L.). Demonstratum itaque tenet veritatem Medicus, DEum  
intellectu præditum esse.

## §. LII.

Series medicæ connexæ sunt cum omnibus aliis mundi se-  
riebus (§. XXXVI.). Bonitas igitur harum serierum medicarum  
determinabit per omnes alias series mundanas, & ha-  
rum omnium bonitatem determinabit ipsa medicarum serierum  
bonitas. Itaque in determinando existentiam serierum medi-  
carum, vti ipsarum, ita & reliquarum serierum cum his con-  
nexarum bonitas distincte repræsentata; & in determinando  
existentiam serierum mundi reliquarum, vti ipsarum, ira &  
serierum medicarum cum his connexarum bonitas distincte re-  
præsentata, motuum inclinationis ad productionem virarum  
que fuisse certo colligit Medicus (§. XLIX.); & cum com-  
plexu serierum medicarum & ceterarum omnium existentium  
ipse mundus aliquid totus constituatur (per def. mundi  
asp.):

asp.): sequitur totius mundi bonitatem distincte sibi repræsentare DEum, adeoque intellectum ejus versari circa quæcunque aspectabilia.

## §. LIII.

Quoniam & series medicæ & series mundi reliquæ contingenter existunt (§. XXXIV. XLI); contingentium vero determinatus existendi modus alijs existendi modi possibilitemt admittrit (§. XXXI): innumeræ adhuc alijæ series, uti medicæ, ita & ab his diuerlæ mundana possibiles sunt. Quibus cum aspectabiles series medicæ & mundi reliqui prælatæ sint: repræsentata præstantia aspectabilium, præ reliquis omnibus possibilibus, motiuum hujus prælationis fuerit, necesse est. Atque dum inuoluit omnium, & medicarum & ceterarum series, determinationum aliarum possibilium repræsentationem distinctissimam: intellectus DEI sibi omnia distinctissime repræsentabit possibilia.

## §. LIV.

Ens, quod sui & ceterorum rationem sufficientem in se continet, est necessarium (§. XXXII); necessarium autem non potest non vnico tantum existere modo (§. XXXI): omnem itaque & successionem respuit. Ens hoc, quod sui, & ceterorum rationem sufficientem in se continet, cum sit DEus (§. XLVI), omnis ab ipso successio exulare debet. Hæc vero successionis negatio hanc ob rem & in intellectu diuino locum habere debet; consequenter hic omnia non nisi simul perlustrabit.

## §. LV.

*Intellectus perfectio* estimatur primo ex multitudine rerum distincte repræsentatarum; secundo ex adæquatione distinctæ repræsentationis; tertio ex paucitate temporis, qua impeditur repræsentationis actui. *Perfectissimus* itaque *intellectus* ille erit, qui omnium possibilium distinctissima & simultanea gaudet repræsentatione.

## §. LVI.

DEus ex mente Medici & aspectabilia, & nude possibilia,  
B 3 ideoque

ideoque omnia possibilia distinctissime sibi repræsentat (§. LII. LIII); atque illud quidem simul (§. LV): intellectus autem ille, qui omnia possibilia distinctissime, simul perspicit, est perfectissimus (§. LV). Deus itaque, ex mente medici, perfectissimo fruatur intellectu.

Hic utique conferatur ill. Wolff Specimen Physicæ ad Theologiam applicatae, vbi pro immenitate intellectus diuinæ aliquo modo adumbranda, quoad ejus a nobis fieri potest, peruestigare jubet 1. multitudinem partium mundi majorum, minorum & minimarum, 2. vasum illud spatium a mundo nostro repletum, vt & non minus stupenda illa spatia, quæ reliquis mundis possibilibus inservire possent; 3. mutationes omnes se inuenient subsequentes; 4. innumeras varietates serierum contingentium in systemata redactarum omnium; 5. infinitarum serierum copiam infinitam a mathematicis consideratam. His perlustratis, & cum iis, quæ finiti intellectus sibi repræsentant, collatis, aliquatenus de immenitate diuini intellectus distinctas notiones nasceros nos esse, promittit *Wolffius*.

### §. LVII.

Series medicas, omnia reliqua aspectabilia, imo & possibilia Deus sibi distinctissime repræsentat (§. LII. LIII.). Noverit itaque an, quando & cur, cum in seriebus medicis, tum reliquis aspectabilibus possibilia fieri possint actualia, immo actu existentium penetralia ipsi erunt apertissima.

### §. LVIII.

Qui nouit distinctissime omnia possibilia, an, quando & cur fieri possint actualia; & perspicit eodem modo omnia actu existentia, ille est *omniscius*.

### §. LIX.

Collatis inter se §. §. LVII. & LVIII. in aprico erit, Medicum de DEO omniscientiam prædicare.

### §. LX.

## §. LX.

*Voluntas* est inclinatio ad objectum, orta ex distincta boni repräsentatione.

## §. LXI.

Largitur DEO Medicus inclinationem ad series medicas, ex serierum harum bonitate distincte repräsentata ortam (§. XLVIII. XLIX). Voluntas vero est inclinatio ad objectum, orta ex distincta boni repräsentatione (§. LX). DEO itaque Medicus asserit voluntatem.

## §. LXII.

Quia DEus ex omnibus seriebus medicis possibilibus aspertabiles, ob præstantiam earundem, elegit (§. LIII): necesse est, ipsius voluntatem esse liberam, quippe quæ semper fertur in optimum distincte repräsentatum (per def. yol. lib.)

## §. LXIII.

In seriebus medicis non deprehenduntur nisi bona, tum, quæ perfectiones supremi Numinis manifestant, quod aliquatenus jam probatum dedimus, & adhuc pluribus däbimus, tum, quæ hominis & suas sibimet inuicem perfectiones promouent. Id quod & prædicare de reliquis mundi alpeſtabilibus ob connexionem (§. XXXVI) medicus non dubitat. Quæ omnia, dum ad actum perduxit DEus, & voluit antea, adeo, vt per hoc patet, DEum omnia bona velle, quæ in nexus hunc mundanum redigi potuerunt. Quoniam vero & in possibilium numerio bona esse, ab intellectu diuino distincte repräsentata, non negat Medicus, & quæcunque bonitatis repräsentatio est motuum voluntatis (per exp.): sequitur, vt judicer, DEum omnia bona velle.

## §. LXIV.

Non omnia tamen bona ad actum perduxit DEus, sed tantum alpeſtabilia, ob ipsorum præstantiam. Itaque non æquo in omne bonum fertur modo, sed præstantius minus præstanti & optimum reliquias præfert. Et inter alpeſtabilia non æquali niſu apperit omnia. Quia enim horum singula diuersa sunt bonitatis (per exper.);

exper.) ; DEus vero hanc sibi distinctissime representat (§. XLIX) : inde & gradus bonitatis ejusunque distinctissime a se inuicem dignoscet. Jam cum , pro gradu bonitatis distinctissime repræsentato, & motuum volendi crescat decrescatque, in vnum nitetur vehementius, quam quidem in alterum. Quod quoniam est bona pro exacta bonitatis mensura velle : DEus omne bonum pro exacta bonitatis mensura vult.

## §. LXV.

Dum series suas Medicus perlustrat, easque cum iis confert, quas Medici olim jam deprehenderunt, nihil in natura eorum, quoad rerum genesin, mutatum ad hoc tempus esse cognoscit. Idem remedium, quod multis abhinc annis sanitatem ægro corpori atulit, positis omnibus circumstantiis iisdem, alii corpori morbo & hodie est salubre. Eadem terra & aeris compositio, qua ad plantas producendas semper requiebatur, & requiritur adhuc: nec illa adest ratio, vnde in posterum hunc naturæ morem mutatum iri sibi persuadere possit Medicus. DEVS vero harum serierum autor est (§. XLVI). DEI itaque actus volendi nunquam sibi repugnat. Nec in irum, DEVS enim vult bonum distinctissime cognitum; tale vero bonum semper manet bonum, ideoque etiam motuum æquiualeens volendi. Semper igitur, quod diximus, secum contentiet divina voluntas.

## §. LXVI.

*Voluntatis perfectio estimatur ex multitudine bonorum expitorum, ex gradu appetitus attemperato ad gradum bonitatis rei, & ex constantia voluntatis:* Ut itaque voluntas sit perfectissima, requiritur, ut feratur in omne bonum, pro exacta bonitatis mensura, ideoque ut inter plura, qua ut omnia existant, ratio non suppetit, præstantius ceteris, seu optimum præferat, denique semper sibi ut sit consentanea.

## §. LXVII.

Medicus perspicit, DЕVM velle omnia bona (§. LXIII.)  
pro

pro exacta bonitatis mensura, ideoque optima quæque (§. LXIV), & quidem ita, ut actus volendi omnes semper sibi consentiant (§. LXV). Quæ cum sint requisita perfectissimæ voluntatis (§. LXVI), palam est, Medicum DEO afferere voluntatem perfectissimam.

## §. LXVIII.

*Spiritus est substantia intellectu & voluntate prædicta: & spiritus perfectissimus, est substantia perfectissimo intellectu & perfectissima voluntate conspicua.*

## §. LXIX.

Quoniam DEO concedit intellectum (§. LI.) & voluntatem (§. LXI.) Medicus; illa autem substantia, cui competit intellectus & voluntas, est spiritus (§. LXVIII): DEUM ipse pro spiritu agnoscit.

Porro, cum DEI intellectum perfectissimum (§. LVI.) & voluntatem esse perfectissimam (§. LXVII.) nouit; & ille spiritus sit perfectissimus, qui vtraque proprietate gaudet perfectissima (§. LXVIII): DEum & esse spiritum perfectissimum colligit.

## §. LXX.

Series medicæ sunt ad actum perducæ, quod experimur: & quia in DEO ratio ipsarum existentia continetur (§. XLVI.) Deus ipsas ad actum perduxerit, adeoque & ad actum perdere potuerit, necesse est.

## §. LXXI.

*Potentia dicitur facultas perducendi ad existentiam possibilia.*

## §. LXXII.

Deus ad actum perduxit series medicas, adeoque eas ad actum perducere potuit (§. LXX); facultate vero possibilia perducendi ad existentiam absoluuntur potentia (§. LXXI): itaque obuiæ series medicæ ipsi Medico ob oculos ponunt DEI potentiam.

C

## §. LXXIII.

## §. LXXIII.

Propter nexus, quem habent series medicæ cum reliquis mundi seriebus, superius (§. XXXVI.) adstratum, has medicas series ad actum non perduxisset DEus, nisi & reliquas mundanas existentia donasset. Perductæ hæ sunt ad existentiam series medicæ, cumque iisdem reliqua mundum aspectabilem facientes, ob præstantiam earundem, præ possibilibus reliquis, a DEO agnitam. Largitus itaque & his esset actualitatem DEus, si æque præstantes fuissent. Aut si etiam præstantiores aspectabilibus comprehensi essent, in concedendo actum aspectabilibus prætulisser; consequenter & ad actum perducere potuisset. Complexus aspectabilium cum meritis possibilibus omnia facit possibilia. Ergo DEus omnia possibilia potest ad existentiam perducere.

## §. LXXIV.

*Omnipotentia est facultas omnia possibilia perducendi ad existentiam.*

## §. LXXV.

DEO omnipotentiam vindicare Medicum, ex §. §. LXXIII. & LXXIV. collatis evidenter sum est.

## §. LXXVI.

In seriebus medicis obuiam veniant nobis vbiique & fines & media recte sibi inuicem subordinata. Et cum hæ series rationem sui agnoscant in DEO (§. XLVII): ipsum DEVm recte subordinasse media & fines sibi inuicem, liquet.

## §. LXXVII.

Scientia media & fines sibi inuicem recte subordinandi est sapientia.

## §. LXXVIII.

Finium, mediorumque recte in seriebus suis subordinatorum existentiam DEO adscribit Medicus (§. LXXVI): DEO igitur ipsum & sapientiam tribuere manifestum est (§. LXXVII).

## §. LXXIX.

## §. LXXIX.

In seriebus medicis attentus ad omnia Medicus, finibus nihil excogitari posse melius, media finibus esse conuenientissima, eorumque subordinationem esse optimam certior evadit. Itaque nec quicquam deceſſe, quod faciat ad finem obtinendum, nec quicquam adesse, quod frustra hic locum habeat, animaduerit.

## §. LXXX.

Quæ optimis finibus præstantissima media aptissime subordinat sapientia, illa est *summa & perfectissima*.

## §. LXXXI.

Summa sapientia conuenientissimis adiumentis, rectissimos fines decentissima subordinatione consequi studet (§LXXX); hæc vero omnia in seriebus medicis vbique reperiuntur (§LXXIX); DEum itaque sapientissimum veneratur Medicus.

## §. LXXXII.

Lippus, imo cœcius esset, qui non in seriebus medicis perfectiones inuenire, qui non r̄bus series medicas facientibus singulis suas competere perfectiones cernere posset. Has vero, quia rationem sūi a DEO repeatunt (§. XLVI.) ipsi acceptas referre debent.

## §. LXXXIII.

Promitudo perfectiones conferendi salutatur *bonitas*.

## §. XXXIV.

A DEO perfectiones seriebus medicis, singulisque harum individuis collatas esse profectas affirmat Medicus (§. LXXXII): quapropter, cum in promitidine perfectiones conferendi consistat bonitas (§. LXXXIII), DEum & esse bonum fatetur.

## §. LXXXV.

Quoniam nexus datur serierum medicarum cum reliquis mundi hujus seriebus aspectabilibus; adeoque & perfectiones harum

harum in illis, & illarum in his rationem quandam sui habent (§. XXXVI.) : perfectiones utique in vniuerso mundo collocatas videt medicus: nec vlla est ratio, cur non sibi persuadere posset, tot ipse esse tributas, quot quidem capiendo ipse vniuersus mundus est.

## §. LXXXVI.

*Summa bonitas* est promptitudo quascunque perfectiones conferendi rebus singulis, quarum illae sunt capaces.

## §. LXXXVII.

Cum seriebus medicis, immo & vniuerso mundo, quascunque perfectiones, quibus suscipiendis pares erant, DEus contulerit (§. LXXXII. LXXXV): summa in ipso suscipienda est bonitas (LXXVI).

## §. LXXXVIII.

DEus perfectiones distribuit rebus, series medicas constituentibus, singulis (§. LXXXII): attamen haud eo etiam tempore, vbi in statu praevio non est ratio sufficiens perfectionis dispensanda, hoc est, vbi non media & fines rite subordinari sibi inuicem possunt, siue vbi non sapienter bonitatem suam exercere DEO fas est.

## §. LXXXIX.

Bonitas sapienter administrata illud ipsum est, quod dicimus *Justitiam*.

## §. XC.

Sapienter DEum bonitatem suam exercere, fateretur Medicus (§. LXXXVIII.) quamobrem ipsum & justitiam de DEO praedicare, extra dubitationis positum est aleam (§. LXXXIX).

## §. XCI.

Non bonitatem tantum sed summam etiam; non sapientiam tantum, sed & eandem summam DEO adsignat Medicus (§. LXXXVII & LXXXI).

## §. XCII.

*Justitia summa* est bonitas summa, secundum leges summae sapientiae administrata.

§. XCIII.

## §. XCIII.

Atque exinde (§. XCI. XCII.) palam est, DEum a Medico justissimi nomine insigniri.

## §. XCIV.

His attributis diuinis intellectis, facilis jam datur Medico ascensus ad reliqua DEI attributa, aeternitatem, infinitatem, omnipraesentiam &c.; itemque ad opera diuina, creationem scilicet, conseruationem, concursum generalem, gubernationem, & providentiam. Quorum quidem excussionem, ob breuitatis studium, mittere cogimur.

## §. XCV.

Accedimus jam ad alteram dissertationis nostræ partem, pietatem medicam.

## §. XCVI.

*Pietas* est habitus perfectiones diuinæ pro motiuis actionum suarum habendi.

## §. XCVII.

Perfectiones diuinæ sunt motiua actionum quarundam, quas alias non suscepissemus, nisi conuidi essemus de DEI existentia. Atque haec quidem actiones proprie fiant officia erga DEum, & horum obseruatio *cultus DEI* appellatur.

In compendiis philosophicis falso audit haec pietatis pars pietas philosophica, cum dici potius *pietas universalis*.

## §. XCVIII.

Sed & sunt perfectiones diuinæ motiua earum actionum, ad quas perpetrandas jam obligati eramus per jus naturæ, adeo ut huic obligationi juris naturalis veluti nouum tantum superaccedit pondus, a perfectionibus diuinis, pro motiuis officiorum habitis, proficisciens. Atque ille quidem habitus perfectionibus diuinis hinc in actionibus motiuorum instar vtendi,

C 3

illud

## DE RELIGIONE

illud ipsum est, quod strictius *pietatis* nomen fortitur & pro disciplinis diuersis aliam admittet determinationem.

## §. XCIX.

Bisariam perfectiones diuinæ motiu harum actionum esse possunt, cum, quando imitationis existunt exemplaria, tum, quando sunt regulæ actionum absque imitationis studio suscipiendarum.

Imitatur Medicus DEum quando intuetur actiones diuinæ, per attributa ipsius determinatas, iisque similes, quantum valet, edere annititur. Quando autem e perfectionibns diuinis tantum rationem agendi petitis, siue jam imitari illas nequeat, siue id jam non agat: tunc sunt perfectiones diuinae illi regula actionum. E. g. Justus est medicus, nam imitatur actus iustitiae diuinæ; vtitur iustitia eadem pro regulâ, quando vindicem illam veretur, ideoque a scelere absinet.

## §. C.

Ad vtramque pietatis partem exercendam omnes degin- ciuntur homines (per Phil. pract.). Ergo & Medici erit vtramque excolere.

## §. CI.

De pietate medica commentaturi, mittamus pietatem univeralem, licet ab ipso haudquaquam negligendam, & specialem, Medicoque tantum propriam, saltem hic loci pertractemus.

## §. CII.

Supra (§. VII) in medium prolatâ Medici definitio notas tantum enumerabat Medici theoretici, sufficietes ad Medici cognitionem diuinarum perfectionum demonstrandam. Pietas in externis sese exerit actionibus; adeoque jam necesse erit dare Medici practici definitionem.

## §. CIII.

*Medicus practicus* est, qui gaudet habitu regulas medicinæ theo-

theoreticæ ipso actu exequendi, quandoque etiam per scientiam suam in foro justiciam, statusque publici salutem promouendi.

## §. CIV.

Atque ita patet Medici duplex officium, clinicum scilicet & forense. *Clinicus* est *Medicus*, si regulas medicinæ ad lectum ægrotantis in actum dedit. *Forensis* est, si secundum scientiam suam justitia, reique publicæ salus ipsi curæ cordique est.

*Forensis medicus* communiter appellatur *Physicus*, sive *Physicus ordinarius*.

## §. CV.

*Pietas medica* est habitus Medici determinandi actiones suas per motiuia a perfectionibus diuinis defumta.

## §. CVI.

Cum practicus Medicus sit & clinicus & forensis (§. CIV), utroque in casu perfectiones diuinæ ipsi inseruire pro motiuis poterunt. Et cum haec bifariam motiuorum tuerintur spartam (§. XCIX), & bifariam tum clinicus, tum forensis Medicus, pietati poterit litare.

## §. CVII.

Clinici pietatem primum peruestigaturi, officia ipsius lustremus, adjiciamusque motiuia, perfectiones divinas.

## §. CVIII.

Medicinam exercitus artis regularum, quoad ejus fieri potest, optimam acquirere curet cognitionem. Finem sibi ponit sanitatem corporis humani. Itaque medium legitimum & conuenientissimum sperneret, si proletaria tantum imbutus notitia tantæ molis opus aggredi vellet. Summam DEI sapientiam sibi conslituat exemplar, cuius confuetudinem, & in re medica obuiam venientem cognovit excellentiam. Deinde quoque justiciam diuinam veneretur vindicaturam, si illotis manibus,

nibus; remuneraturam, si rite præparatus ad ministeria facili-  
tati praeflenda accedat.

## §. CIX.

Cauillationibus collegarum, adulatio[n]ibus ferialibus, ali-  
isque actionibus indignioribus inhiare gratiam ciuitum, operam  
nauare medicam inchoaturus nefas putet; itidem justitiam di-  
vinam veritus, & bonitati DEI sapientiaque consilis, qui justo  
tempore operam suam in emolumentum societatis adhibebit.

## §. CX.

Ne exercitatus quidem Medicus, multo minus qui pri-  
mam manum arti salutari admouit, plurium morbo affecto-  
rum in se suscipiat curam, quam quibus rite opitulandis par est.  
Sapientiam DEI nunquam imitabitur, si non cuius debitus &  
conueniens praestare auxilium contendat. Rationem insuper  
hac in re habeat justitia diuinæ & remunerantis & vindicantis.

## §. CXI.

Ne quicquam sibi & opellæ suæ tribuat Medicus. DEI enim  
sunt vires corporis humani ad sanitatem dirigenda. DEI sunt  
vires medicamentorum directione inseruientes: nec DEI  
concursum ab ipsa directione Medici abesse potest. Justus ita-  
que sit Medicus, ut DEus justus est, ipsisque suum tribuat.

## §. CXII.

Ne nimium sibi & opellæ suæ fidat Medicus, DEus tantum  
est omnisciens, omnipotens, summaque sapientia prædictus:  
ipse vero arctis sane cognitionis & judicii circumscriptus limi-  
tibus.

## §. CXIII.

Cum nec sibi & opellæ suæ tribuere quicquam, aut fidere  
nimis possit Medicus (§. CXI. & CXII.): palam est, necesse  
esse, ut ad omniscium, omnipotentem, summe sapientem,  
& summe bonum fundat preces: huic omnem laborem com-  
mendet,

mendet, ipsumque afflictum fiducia in DEum imbuat, & saustum curarum luarum effectum soli DEO adscribat.

## §. CXIV.

Cum conuenientius sit sanitati, ipsam conseruare & morbos precauere, quam restituere eandem, hos pellere; vbi Medico est copia vtrum velit eligendi, Hygienos potius agat, quam Therapeutes, imitaturus sapientiam DEI, conuenientissima quæque eligentis.

Dolemus hic morem nonnullorum, Medicum demum quærentium, vbi de salute sua desperant; plerorumque, vbi morbus jam ingruit, eum accersentium, rogantes ipsos, neglectum corporis sui, cuius rei sunt ut attendant, & mittant propter diuinam iustitiam.

## §. CXV.

Therapeutes adhibeat medicamenta ad pellendum morbum plurimum facientia, seiscitatus singulas morbi affectiones & hortatatus omnes afflictos, ne quasdam morbi circumstantias e pudore subtrahant medicantis notitiae. Nam & hic sapientiam DEI sequi, ipsiusque iustitiam timere debet Medicus.

## §. CXVI.

Quia conuenientissima morbo tollendo in censum vocare debet medicus, medicamenta (§. CXV.), ne noua & adhuc haud probata ægrotanti propinet, DEI sapientissimi lecturus vestigia & justissimi euitaturus vindictam.

## §. CXVII.

Si non nouis & adhuc haud probata fidei medicamentis impune vti potest Medicus (§. CXVI.), multo magis fibi caeat, ne affectu quodam abreptus, aut consilio nefando allictus, plane nocitura corpori ægro ingerat, non medicamina sed venena. Et, si eriam nullius sceleris sui perpetrandi conscientiam timendam videret, omniscientiam justissimi vindicis vereatur.

D

§. CXVIII.

## §. CXVIII.

Ne longius morbum protrahat. Sapientis enim est media fini maxime accommodata adhibere; boni, imperfectiones quam citissime tollere. DEus vero est sapiens; DEus est bonus, & imitandus a Medico.

## §. CXIX.

Ne pluribus obruat medicamentis ægrotantem, si paucioribus idem finis obtineri potest. Sapientia DEI nihil facit frustra. Pareat in primis sumtibus pauperum, bonitate diuina commotus.

## §. CXX.

Eadem bonitate allicitus, vbi & quantum fieri potest, ne crudelis dolorem excitantibus vtatur auxiliis.

## §. CXXI.

Interdum sese accommodando desideriis ægroti multum proficit Medicus; vbi itaque ars aliquantum concedit, ne adeo sit durus, ob sapientiam & bonitatem diuinam.

## §. CXXII.

In graui & difficilis curationis morbo ne a consultationibus aliorum prudentium Medicorum abstineat, imo & ipse vocare jubeat artis gnaros. Plus indagare ambo poterunt, quam vnu tantum. Sapientiam hac occasione venerabitur & justitiam diuinam.

## §. CXXIII.

Ne tamen hoc in calu autoritati aut alii præjudicio plus tribuat, quam rationi. Hoc enim non esset sapientis & imitatoris DEI.

## §. CXXIV.

Ne sit adeo proclinis in prognoses faciendas, habita ratione angustorum fanc præscientiarum cancellorum. Solus DEus, est omniscius. Attamen prudenter & spem & animum addere ægris potest, quo ipso sibi plus ægrotantis fiducia conciliabit & ita

ita fini suo, sanitati scilicet conferendꝝ semper proprius accedit, idque propter sapientiam DEI imitandam.

## §. CXXV.

Sanitatem vero, præcipue in morbis grauioribus, ne certo promittat: quoniam lecuritati forsitan improbi hominis eo ipso puluinar substerneret, & aliquando ipsa per Medicum temere prædicentem perderetur anima. Quid autem hoc de facinore justissimus? Mortem vero certam prædicere obligatum se putet, sed id prudenter, ne eo ipso illam acceleret, & adstantibus lecto quandoque solum, ut isti de anima morituri solliciti esse possint. Ita perfectionem conferet ægroti secundum bonitatem diuinam, & justitiae diuinæ sibi procurabit munera, vindictam declinabit.

## §. CXXVI.

Ceterum fando, confolando & omnia, qua ad scopum suum collimare censet, exequendo, nunquam desistat Medicus, posita sibi ob oculos sapientia diuina.

## §. CXXVII.

Softro erogato, ne auaritiae scelus præ se ferat, si id aliquo tantum modo laborem compensat, contentus sit, & plenioram cura sua remunerationem a DEO justissimo & summe bono certo expectet. Nec pauperibus opem suam deneget, eodem ex argumento. Quia DEUS summe bonus, idemque & justissimus est: ejus fostrum longissime superabit ditionum quorumcunque elargitiones maximas.

## §. CXXVIII.

Perspectis itaque Medici clinici muneribus præcipuis, & additis perfectionibus easdem determinantibus divinis, jam eodem fine officia Medici forensis attingamus.

## §. CXXIX.

Medici forensis officia dispisci possunt in ea, quibus justitiam  
D 2

tiam promouet; & illa quibus salutem procurat publicam (§. CIV.). Vtrisque sua respenderunt attributa diuina, bifariam pro motuis considerata (§. XCIII. XCIX).

## §. CXXX.

Deponere vel renunciare Medicis est, judicium ferre de casibus forensibus, qui ipsorum subsunt potestati.

Deponunt vel renunciant Medici, ubi de lethalitate vulnerum, de morte ipsa violenter illata &c. judicium ferunt.

## §. CXXXI.

Quoniam hæc deponendi scientia & regulas medicinæ theoreticæ rite perspectas, & experientiam satis probatam postulat; ideo & regularum medicarum & experientiarum rite instituendarum & jam jam institutarum experientiarum plurium notitia sufficienti imbutus sit Medicus, cui deponendi laborem aggredi mens est. Hoc tantum modo sagientiam diuinam sequi, & justitiam remunerantem sibi reddere propitiam, vindicantem curitare poterit.

## §. CXXXII.

Secundum conscientiam deponat judicium Medicus, omniscientia & justitia commotus diuina.

## §. CXXXIII.

Si non certum, probabile saltē ferat judicium Medicus, jurisperitis relicturus veritatis, quæ locum jam habet, periculationem & euictionem. Quantum potest, profit hac in re statui publico, obligatus ad id diuina bonitate & sapientia.

## §. CXXXIV.

Justitiam diuinam veritus suspendat etiam aliquando in casu difficultiori judicium, donec in mentem vocandi circumstantias omnes requisitas ipsi est potestas,

## §. CXXXV.

## §. CXXXV.

Circumspecte itaque & premeditato deponat Medicus forensis, addatque renunciationi sua perspicuas semper rationes, terminis, judicibus haud ignotis, ubique adhibitis; quo pro re cognita administrare ipsi possint justitiam. Atque hic iterum justitiam diuinam & sapientiam expendat, timeatque.

## §. CXXXVI.

Per memorata officia justitiae satisfacit forensis Medicus, per sequentia curam aget salutis status publici.

## §. CXXXVII.

Prospiciat reipublicæ bonis semper Chirurgis, exercitatisque Pharmacopolis, ob bonitatem diuinam, quæcunque bona conferentem cuicunque; & sapientiam diuinam, media conuenientissima fini præparantem.

## §. CXXXVIII.

Officinas Pharmacopœorum ad tempus constitutum visitet, ne medicamenta negligenter tractata edantur, ne vel ipsa medicamenta indolis sint prauæ, & potius veneni effecta habeant, quam medicamenti: hac ratione conuenientissima sanitati obtainenda adhibitus media, propter sapientiam diuinam.

## §. CXXXIX.

Quia ipse annuente loci Magistratu inhibere potest, ne concedat vlli, præter rerum medicarum satis perito & indefesso medicinæ cultori, exercere curas medicas, siue ille sit Chirurgus, siue Pharmacopola, siue alius quisquam lucro inhians. Quippe qui per homicidia vel ad minimum sanitatis integræ destructiones, mortem accelerantes, victimum queritant indignissimum. Nec est, quod vñquam expectare possit ab empicico tali indocto, & messem alienam infasto omine inuadente, nisi tristia hæc temeritatis & ignorantia specimina, quæ ruanam ciuium, eorumque salutis certissimam portendunt. Per-

## DE RELIGIONE

dendat itaque Physicus ordinarius justitiam diuinam, vereatur vindicaturam omnem negligentiam: confidat remuneratur, si data sibi autoritate saluti profit publica.

## §. CXL.

Eadem diuina justitia ipsi calcar sit ad eliminanda omnia e republica & esculenta & potulenta, aliaque, qua vel ingesta corpori nocere, vel plane aere infecto epidemicos & pestilentiales morbos in regionem, ciuitatemque possunt introducere.

## §. CXLI.

Taceo reliqua officia, vbi attributa diuina vario adhuc modo esse possunt motiuu agendorum omittendorumue. Relinquo hæc cuilibet pie medicinam facienti. Voluntatem faltem DEI perfectissimam, ceu attributum illius inter primaria numerandum, pro motiuo adhuc fisto actionum, quas jus naturæ a Medico postulat, & quas intima jam moralitas commendat, perpetrandarum omnium.

## §. CXLII.

Ex his itaque pertractatis palam est, tantum abesse, vt Religio Medici pessima aut nulla culpari possit, vt potius ratione sibi relicta conuenientissima sit censenda. Vniuersalioribus enim de DEO, DEIque majestate philosophorum positionibus superaddit Medicus singularia in quois sibi subiecto individuo reperiunda Divinæ majestatis argumenta, eomagis ad conuictionem facientia, quo plura ejusdem perspicacia, ejusdemque roboris se invicem comitantur. Et cum via cognitio DEI, diuinarumque perfectionum, qualis utique Medico præsertim suppetit (per demonstr.), animum non posse non impellere ad agendum omnia, qua ipse vult, quaque ipsius perfectiones manifestant quam latissime: certum est, & pietatem Medici omni aliis pietati naturali palmam dubiam reddere.

## §. CXLIII.

## §. CXLII.

Optima cum ita potius, quam pessima, nuncupanda sit Religio Medici naturalis (§. CXLI): faciliorem etiam aperiet accessum ad Religionem reuelatam. Quia scilicet animum Medici instrueret, ad assensum doctrinae lubentissime dandum, quæ perfectiones has diuinias eminentius longe in fastigium tollit, adeoque valentiora agendorum omittendorumue largitur motiva. Quo vero altius effertur DEI majestas Religione Medici ex reuelatione hausta: eo & hæc longius antecellet Religionem Medici naturalem, cuius in præcedentibus dare rudimenta, nobis tantum erat animus.

## §. CXLIV.

Colophonem addimus opellæ nostræ, Numen venerantes Supremum, pro nauato clementer nobis auxilio. Illudque ardentissimis flagitamus precibus, studiis nostris porro præsit, adsistat nobis iter parantibus, quorsumcunque gradum protulerimus, & aliquando efficiat sua gratia, vt pii, vt religiosi Medici pro virili adimpleamus officia. Sit TIBI,  
summe DEVIS, in æternum Laus, Honor  
& Gloria.

---

CHRISTIANO SENDELIO

Filio suo dilectissimo

S. P. D.

## NATHANÆL SENDEL D.

Sacr. Reg. Maj. Polon. Aula Medicus & Physicus ordin.  
Reipublicæ Elbingensis.

**E**x quo ante hos viginti annos, & quod excurrit, te cœlitus mihi datum Filium vlnis meis amplecti, atque exosculari licuit, ocyus in id incubui sedulo, vt cœlo dignum educarem, cœlo aliquando retradendum. Sacro itaque Baptismatis fonte, qui via ad Cœlum est, Ecclesiæ inferrus, nomen Christiani reportasti tempore illo, quo Natalem JESV  
CHRISTI

CHRISTI feriabatur Orbis Christianus. Nomen adeo ut haberet & omen, totus in votis habebam. Deinde ut castum DEI PATRIS Cœlestis cultum ageres ad Legem & Testimonium, curauit diligenter Pater, lacrymas quidem inter atque suspiria. Infanti propterea, & puero, & adolescenti Doctrina cœlestis instillata est, medias inter scientias mundanas. Bellum enim vtrarumque connubium quis negauerit? Nec omissa monita, ut doctrina sicut vita esset regula, cum præsentis seculi amor in Pieratem fere algere videatur, ni penitus et plurimorum animis sit eradica. Inter alias vero scientias ad principem illam, & fontem cateriarum, Naturalem scilicet, manu duxi mea. Enata inde speciminiis loco oratio tua est, de scientia Naturali, DEVVM commonistrante, non negante, quam valedicens patrio Athenæo publice recitasti. Ast non leuiter illum, canis ad Nilum instar, degustandam, sed quantum fieri potest, exhauiendam, monui. Siquidem parua hujus cognitio, monente Magno olim Anglia Procancellario Bacone de Verulamio ad Atheistinum viam sternere, altior vero illa ad Religionem circummagere valet. Acquiescit nempe ex sententia Incomparabilis Viri, intellectus humanus, dum obiter causas secundas intuetur sparsas, nec ulterius penetras; cum catenam vero earum, connexarum inter se, & confederatarum, contemplari pergit, ad Prudentiam & Deitatem configere cogitur. Talem te volui & edocui præsentem, talem te manu-  
rum sperauit absentem. Neque, qua est filius DEI Gratia, spes me fecellit, aut inanis lactauit, vt oleum & operam me perdisse, conqueri debeam. Loquuntur namque id, si vel ipse decenter fileo, rerum testimonia. Loquuntur Professores & Gamalielis ad quorum pedes sedisti haec tenus. Loquuntur Patroni & Mæcenates tibi bene cupientes. Loquuntur Beneficia indulgentissimi Senatus Gedanensis, tibi benignissime exhibita. Loquitur denique scriptum, nuper admodum publicæ luci expositum, in quo juvenis diligens, annorum octodecim (hoc enim tempore a te incepitus labor,) scientiæ Naturalis dogmata jamjam etiam docendo aliis exponis, Physique Pii partes


VD  
18

ULB Halle  
002 713 802



3

SL,



B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Schluss fehlt! ]

27.  
5

Q. D. B. V.

DE

# IGIONE EDICI

1740/1.

PRAESIDE

## AMO KVLMO

PHYSICO ORD. MEDIC. ET PHIL.  
STRI GYMN. GEDAN. ACADEM.  
E PVBL. ACADEM. IMP. NATVR.  
ET SOCIET. REG. SCIENTIAR.  
CROLINENS. SODALE

## TORIO MAXIMO

CXL. IPSIS CAL. SEPTEMBR.

ORIS CONSVENTIS

DISPVTABIT

OR ET RESPONDENS

## VVS SENDEL, ELBING.

LVMN. VOEGEDING.

GEDANI,  
JOHANNIS SCHREIBERI, SENATVS  
THENÆI TYPOGRAPHI.